

Observationes

in Horati carmina I. III. 1—6.

Observationes

in sex prima tertii libri Horatii carmina arto
inter se vinculo connexa

scripsit

Ludovicus Jakowicki.

Opere italiane

in sex prima editi libri Historie certissime sive

inter se variis consueza

scipio

ad hanc etiam tomum. Tercium.

— 1000 —



Observationes

in Horatii carmina l. III., 1—6.

—300—

Veterum scriptorum, quorum opera temporis beneficio ad nos perlata sunt, etsi nullus facile invenitur, ad quem in omnes partes excutiendum quum omni tum nostra imprimis aetate tantas operas tantaque studia viri eruditii contulerint, quanta in Venusino poëta illustrando consumserunt, vel ut ejus vitam, ingenium, mores aestimarent et explicarent, vel ut novis commentariis explanarent carmina eorumque naturam, origines, consilium, sententiarum nexus investigarent et exponerent, vel ut, quibus quaeque temporibus scripta essent inquirerent: tamen ne nunc quidem omnem de his rebus ambigendi dubitandique materiam sublatam esse arbitror. Itaque quum in legendis Horatii sex prioribus tertii libri carminibus ii, quos quidem novi interpretes, non omnibus locis mihi satisfacerent variasque de his carminibus eorumque natura, consilio, sententiarum ordine, rerum distributione proferrent sententias, operae pretium facturum me existimabam, si, hac publice scribendi occasione oblata, breviter exponerem, quam in explicandis aestimandisque his carminibus sequendam rationem censuerim, ut, de quibus minus recte judicassem, ex peritorum judicio possem et perspicere ea et convertere me ad aliam horum poëmatum intelligentiam atque aestimationem. Jam igitur in iis, quae diximus,

carminibus enucleandis eorumque difficultatibus expediendis extiterunt viri docti, qui ea communi quodam vinculo inter se connexa esse animadverterent, sed in eorum exponendis primariis sententiis non semper eam, quam res ipsa postularet, inirent rationem, alii, qui id non viderent, alii denique, qui inter tria tantummodo priora carmina cognitionem quandam atque contextum concederent, quartum, quintum, sextum separatim omninoque alio consilio atque tria priora a poëta scripta esse statuerent. Eorum, qui posteriorem opinionem secuti sunt, T. Obbarius *), vir eruditissimus, eo majorem hac re effecit admirationem, quo meliora attulit ejus alias utilissimus commentarius. Huc accedit, quod neque Dillenburger, ingeniosissimus Horatii aestimator, qui omnium acerrime perspexit naturam illorum sex carminum et consilium, quo a poëta scripta essent, luculenter exposuit, neque alii viri docti, qui in eandem sententiam disseruerunt, ipsi de conjunctione omnium sex illorum carminum persuaserunt. T. Obbarium enim id potissimum prohibet, quominus eam conjunctionem agnoscat, quod certum non sit, utrum uno eodemque anno haec carmina composita sint, necne. Sane, nondum illa temporum quaestio ita ad liquidum est perducta, ut pro certo affirmari possit, omnia haec sex carmina uno eodemque anno scripta esse, sed id neque prorsus necesse esse puto, quum poëtam in componendis tantis carminibus, tanta praceptorum gravitate plenis longius consumsisse tempus consentaneum sit, et ex doctorum virorum quaestionibus appareat, ea annorum spatio 726—728 concludi posse (cfr. Dillenburgerii Quaest. Horat. p. 88. sqq.).

Quod autem Obbarius V. D. dicit, variatam his carminibus a poëta adhibitam Augusti appellationem Dillenburgerii aliorumque virorum doctorum sententiae repugnare, equidem me non intelligere fateor. Num censem V. D. post annum DCCXXVII, quo Caesari Octaviano nomen Augusti tributum est, non conducere eundem Caesarem

*) Q. Horatii Flacci Carmina, Jenae 1849, ed. Theod. Obbarius.

appellari? Sed poëta talium rerum neque anxius erat et carminibus post hunc annum scriptis nomina illa promiscue posuit *), praesertim quum Augustus ipse Caesaris nomine lubenter se ornaret. Itaque quum nobis persuasum sit, arto quodam vinculo sex prima III. l. Horatii carmina contineri, exponendum nobis erit, quibus potissimum causis in eam sententiam adducti simus. Quae quidem res, quo melius procedat, de reipublicae statu, qui tum erat, de poëtae animo atque consilio, denique, ad quem sint scripta, paucis disserere liceat.

Quum, Brutianis partibus victis, inter omnes constaret, priscam reipublicae libertatem servari jam non posse, bellis civilibus perniciosissimis ingentibusque calamitatibus ad castigandam civitatis perversitatem a diis missis, nullam aliam patriae salutem relictam esse, nisi unius imperio, quod fato ipso parari videretur, se cives Romani submitterent, Augustum, qui unus deorum iram placare, qui honorem dignitatemque Romanam tutari et ab extrema pernicie civitatem servare videretur, cum Horatio optimus quisque ab omnibus omni opera adjuvari debere existimavit. Is enim, quum jam sub initium principatus civitatem Romanam omni modo deformata, populum depravatum atque corruptum videret, repente autem ac temere inita via ac ratione rerum omnium statum commutare nollet cuperetque, antequam de corrigendis moribus leges ferret, ut cives Romani ab aliis viris edocerentur, quibus maxime vitiis laborarent, verisimile est, Maecenatem ad id munus suscipiendum Horatium excitasse. Hic igitur, his rebus bene perspectis, vero sinceroque patriae amore ductus, ut antea pestem reipublicae bellis civilibus natam ob oculos posuerat inque multa alia populi Romani vitia et libidines, quae civitatem deformatabant, foedabant, perdebant, injectus erat, sic nunc, ut integritas morum restitueretur, juventutem Romanam, quum unam spem relictam in posteritate videret, ad

*). Cfr. Od. III, 14, 16. IV, 5, 27. IV, 15, 17. caet.

majorum virtutes, quibus tum regibus Romae imperantibus, tum primis reipublicae temporibus imperium Romanum et stabat et augebatur, imitandas exhortatur.

Quae autem hae virtutes sint, quas juventuti Horatius his carminibus proposuerit, ipsorum argumentis constitutis, facile apparebit. Qua de re etiamsi nec nova omnia nec, quae exquisitoris doctrinae significationem habeant, me dicturum scio, tamen, quid ipse sentiam, paucis explicabo.

Carm. III, 1. Primaria hujus carminis sententia indicatur inde a v. 25—32.

Initio carminis *) gravissima saluberrimaque ad vitam bene instituendam praecepta traditurus poëta, quo attentiores juveuum animos ad ea percipienda sibi pararet, Musarum sacerdotem se fert, et deinde, adhibitis quibusdam religiosis formulis, quadam cum auctoritate et gravitate quasi caerimoniarum et sacrorum antistes summum Jovis imperium, summam ejus potentiam praedicat, tum Necessitatem commemorat, cui non modo divites et gloria vel dignitate vel auctoritate nobiles, verum etiam infimae sortis homines parent. Deinde, allato de Damocle exemplo, quo demonstret, homines potentiores, divitiores, quibus animi tranquillitas conscientiaque recti desit, parum vitae suavitatis, parum verae felicitatis percipere, transgreditur ad principalem hujus carminis sententiam: eum vera vitae felicitate uti, qui ipsam in continentia ejusque comitibus perpetua et immota animi tranquillitate et aequitate ponat; contentum enim ea sorte, quam deorum benevolentia acceperit, pluraque non desiderantem neque animi sollicitudine excruciali neque cupere vitae statum commutare cum magnis divitum opibus earumque molestiis et curis. Ac vero, ne poëta alia ore, alia mente ferre videretur, extrema carminis parte addit, se

*) v.v. 1—4, quem prologum sex priorum tantummodo carminum, non totius tertii libri prooemium contra Orellii sententiam duco, quod ejusmodi prologus carminibus severis solum gravibusque sententiis aptus esse videtur et hoc libro continentur carmina, quae ab illorum natura aliena sunt (cf. v. g. h. l. carm. VII, IX.)

contentum Sabino suo non desiderare vel cum maximis divitiis id permutare, ut quae molestias tantum afferant.

His de consilio carminis allatis, unum alterumque ejusdem locum, quem interpres, quorum quidem inspiciendi commentarios copia mihi facta est, non satis recte illustrasse mihi videntur, paucis tractare libet. V. 2—4.

carmina non prius

Audita Musarum sacerdos

Virginibus puerisque canto.

Quae ad explicanda verba: „carmina non prius audita“ Doeringius attulit: „h. e. nova, quasi nemo ante eum (poëtam) praecepta tam salubria cecinerit, nisi forte haec quoque verba ad formulam quandam solemnem referenda sint,“ ea mihi non satisfaciunt. Prorsus nova haec non sunt, nam poëta eandem sententiam iisdemque fere verbis Od. II, 16. jam expresserat. Quid igitur? Dicit tamen se cantare carmina non prius audita. Sed cogitandum est, poëtam gravitate praeceptorum juventuti Romanae tradendorum atque divino quodam afflatu incensum, quae ibi Grospho proposuerit, ea nunc nihil curare, quippe qui privato tantum homini cecinerit, et hoc carmine universam Romanorum juventutem ad observanda atque tenenda illa vitae beatae praecepta exhortari. Ea de causa et quoniam tali modo nullus adhuc poëta ad juventutem Romanam locutus erat, jure dicere poterat, se cantare carmina non prius audita. Sed non solum ob hanc, quam modo attuli, causam poëtam ea carmina non prius audita nominasse puto, verum etiam propterea, quod verbis, quae sequuntur v.v. 5—8

„Regum timendorum in proprios greges,

Reges in ipsos imperium est Jovis,

Clari Giganteo triumpho,

Cuncta supercilie moventis“

ex mea quidem sententia, principatum Augusti, commemoratis et nominibus et rebus, quorum mentio liberae reipublicae temporibus non inferebatur, popularibus commendare studet, id quod et aliis locis et his sex carminibus saepe fecit, v.g. carm. h. l. V. v.v. 1—4.

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare; praesens divus habebitur
Augustus adjectis Brittaniis
Imperio gravibusque Persis.

Illo quidem loco a Mitscherlichio aliisque interpretibus plane dissentio, qui v.v. 5—8 cum sequente sententia (v.v. 9—16) ita conjungunt: „Homines, quounque sive potentiae (reges v.v. 5—8) sive divitarum (v.—9) sive denique honorum (10—13) fastigio atque amplitudine insignes eadem, quae infimae sortis homines, mortalitatis manet conditio cet.“ Haec enim stropha *) sejungenda mihi esse videtur a sequentibus, quae plane aliam sententiam, quod jam supra demonstravimus, amplectatur. Ceterum, qui, his ita constitutis, putent, v.v. 5—8 non cohaerere cum sequentibus, ii meminerint, poëtam saepenumero hanc rationem secutum fuisse, ut imagine aliqua obiter tantum tacta consideret et legentibus, quid indicare voluisse, explorandum relinqueret. Quam quidem rationem quum poëtae lyrico tum imprimis ei, qui praecepta ad vitam bene instituendam pertinentia proponat, consentaneam esse, nemo facile negabit. Restat, ut dicam, ad quem hoc carmen scriptum esse putem, nam ad choros virginum et puerorum id fusum non esse, ut Orellius censuit, ex iis, quae Dillenburger Quaest. Horat. p. 81 sqq. disputavit, intelligas prorsus necesse est. Id tantum addam, ex varietate codicum, qui complures afferant inscriptiones, apparere, Horatium nullam fecisse, omninoque nullam carminibus lyricis plane necessariam dixerim. Ad pubem vero Romanam carmen hoc ut sequentia quinque scripta esse,

*) v.v. 5—8.

etiam si majores natu propter quaedam proposita praecepta non excluderim, ex ipsorum carminum natura facile intelligere possis.

Carmen II. Prooemio proprio hoc carmen carere, id quod argumento esse sententiae, sex haec carmina arto quodam vinculo inter se cohaerere, jam Dillenburger observavit. Primis protinus versibus pergit igitur poëta commendare virtutes, quarum beneficio salus patriae recuperetur, et ita quidem pergit, ut primo loco ponat eam virtutem, quae contraria est vitio avaritiae cupidinique divitiarum operosiorum, in quam extrema primi carminis parte erat invectus, quae quidem res ex mea sententia artissimam inter primum atque secundum carmen conjunctionem demonstrat. Collaudata vero paupertate, monet poëta populares suos, quos a veteris disciplinae severitate in avaritiam, luxuriem, mollitiem et alia vitia degenerasse videret, quoniam horum malorum fontem perversam aetatis suae educandi rationem ducebat, ut pueros acris militiae usu atque exercitatione robustos reddant eosque virtute bellica, qua patriae hostes devincant, assuefiant. Tum, depicta illa imagine, qua regium sponsum rei militaris rudem et in discrimine versantem describit, quo magis cives Romani a tali puerorum institutione abhorreant, animum ad mortem pro patria obeundam paratum celebrat. Commendata vero virtute bellica, quod ad eam, quam civilem dicunt, collaudandam transit poëta, nihil est, quod miremur, et eorum interpretum opinio, qui, quum non videant, quomodo sententia, quae inde a. v. 17. incipit, eum antecedente cohaereat, ex tribus diversis aliis carmen hoc conflatum esse statuunt, plane improbanda est. Nam, si omnino indoles poëseos lyricae fert, ut laxiore vinculo sententiae inter se cohaereant, carminibus, quibus praecepta ad vitam bene instituendam proposita sunt, etiam si arta conjunctio desit, minime est mirandum. Sed poëta non alieno loco virtutem civilem, commendata bellica, collaudat: eam contumeliosam repulsam non ferre, semper per se ipsam splendere, nunquam arbitrio aurae popularis, sed suae ipsius praesidio nixam tam suscipere quam deponere

magistratus; homines hac virtute praeditos parare sibi aeternum honorem nominisque immortalitatem. Denique inde a. v. 25 usque ad finem carminis tam fidei quam perfidiae praemia splendidissimis verbis exposuit poëta.

Carmen III. Consilii hujus carminis explicationes tam sunt diversae tantasque interpretibus creaverunt molestias, ut, omnium omnibus exploratis atque examinatis opinionibus, magna illa rerum inter se discrepantium mole perturbatus, quae opinio comprobanda, quodque sit consilium statuendum, neque facile dijudicare possis et, qui arbitri partes sibi sumserit, eum cavere necesse sit, ne arrogantiae in se conferat suspicionem. Sunt enim interpretes, qui hoc carmine justitiam constantiamque Horatium popularibus exercendas commendare voluisse et, quo majorem carmini tam dignitatem quam sublimitatem pararet, longiori digressioni, quam Romuli exemplum praeberet, immoratum putent. Alii in laudem Augusti hoc carmen scriptum censem, alii ad Augustum eo consilio fusum, ne sedem imperii Trojam transferret, cujus tamen rei vestigium nullum a scriptoribus servatum est; alii denique carminis summam alia in re ponendam putaverunt, nulla tamen tam evidente ratione allata, ut satisfacerent docerentque, singulas partes cum totius carminis institutione conspirare. Ab horum interpretum opinionibus poëtae consilium alienum esse videtur; nam quemadmodum superiora hujus libri carmina in commendandis collaudandisque juventuti Romanae majorum virtutibus versantur, ita hoc carmen simile argumentum spectare consentaneum est. Itaque excipit quodammodo poëta eas, quas sub finem superioris carminis breviter tantum tetigit sententias (quod carminum horum cognationem satis indicat), et constantiam atque justitiam commendat, gravissimis rationibus clarissimisque earum virtutum exemplis allatis. Quae quidem attulit Dioscurorum, Herculis, Augusti, Bacchi, Romuli exempla, non tam hominum privatam, quam illam publicam populi Romani et civilem justitiam constantiamque spectant atque declarant, quaecunque praeclare egregieque fuerint facta, ea harum virtutum

beneficio perfecta esse. Deinceps, jam ad ipsam populi Romani fortunam resque gestas progrediens, in Quirino inter Deos recepto subsistit poëta et merita Romuli harum virtutum praesidio edita tanta fuisse dicit, ut ob ea ipsa inveteratum illud et a Trojanis in Romanos translatum odium Juno demitteret, quam ipsam, quo majore gravitate id, quod sibi proposuerat, illustraret in concilio Deorum, quum de Quirino inter ipsos recipiendo deliberarent, verba facientem inducit.

Qua oratione Juno, jam gravissimis de Trojanis propter eorum in Deos perfidiam poenis sumtis, non solum odium suum in progeniem Trojanam deposituram se pollicetur, verum etiam, ut Quirinus in deorum coetum recipiatur, concedit et Romanis rerum amplitudinem atque in orbem terrarum dominationem portendit, ea quidem conditione, ut a divitiarum collendarum cupiditate se contineant, neve Trojam reparare velint. Cur autem translationem illam imperii dissuadeat, id jam Orellius ita explicavit, ut in eo acquiescere possimus.

Carmen IV. Super hujus quoque carminis consilio tam multae a viris doctis tamque diversae allatae sunt opiniones, ut in magno eorum numero, qui operam navarunt, ut illustrarent, quae primaria carminis sententia habenda esset, vix invenias, qui alterius opinionem ab omni parte probandam censuerit.

Verum enim vero longe maxima interpretum pars summam carminis in Augusti imperio commendando ejusque ingenio, quod litterarum studiis satis excultum scriptores tradunt *) celebrando ponit. Sed neque horum rationem sequendam esse puto, neque Theod. Obbarii, quippe qui omnium interpretum, quorum commentarios legere mihi licuit, alienissimam ab Horatii consilio sententiam amplexus sit. Is enim vir doctus contendit, Horatium hoc quoque carmine Musis gratias agere voluisse, quod ter peculiari earum tutela a summis vitae periculis servatus esset.

*) Cfr. Suetonius Vit. Oct. c. 94 et 85.

Etiam si hujus rei vestigia quaedam v. v. 1—37 apparere videantur, quomodo tamen ea, quae inde a v. 37 usque ad finem carminis sequuntur, cum illa conjungenda sint sententia, equidem me non intelligere fateor. Summa vero carminis eadem mihi, quae Orellio, haec esse videtur: Calliopes, ut se in componendo carmine adjuvet, invocatae praesentiam poëta jam sentiens haec proponere studet: „Musas, quibus ipse summa beneficia debeat, non solum animos hominum delectare, verum etiam eorum mores minime sinere esse feros, itaque mites fieri magistras modestiae et sapientiae, quarum ipsarum virtutum Augustum, Romani imperii pacificatorem, eximium nobis praebere exemplum; contra Musas adeoque cuncta ingenia bonis artibus exculta quam longissime abhorrende a feroci virium abusu atque a superbia omnibusque facinoribus, ad quae mortales morum feritas impellere soleat.“ Quod autem deinceps adnotavit Orellius, poëtam Augusto ipsi olim ad crudelitatem proclivi moderationem atque clementiam cum ingenio humanarum litterarum studio conjunctam commendare voluisse, equidem nullo hujus carminis loco id expressum video; nam verba: „Vos lene consilium et datis et dato gaudetis, almae,“ ad Augustum referri nolim, quippe quae generatim atque universe dicta esse putem. Quae quum ita sint, facere non possum, quin a Dillenburgerio dissentiam, qui Quaest. Horat. p. 85 contendit, summam carminis cerni in commendanda pietate, in probando timore deorum, in castiganda impietate et humana superbia, qua suis ipsorum viribus confidere soleant homines deorumque potestatem spernere. Sane, allatis Titanum exemplis, castigat illam in deos impietatem, sed id in eam accipiendum esse puto sententiam, ut significetur, quo homines leni Musarum potestati non dediti ruant. Ceterum, totius hujus carminis cardinem, ut ita dicam, in celebrando Musarum beneficio verti, jam inde concludo, quod ad eas saepenumero hoc carmine reddit poëta easque initio nonnullarum stropharum cum emphasi nominat. Cfr. h. c. v. 21. Vester Camenae. . . v. 25. Vestris amicum fontibus. . . v. 37. Vos Caesarem altum. . . v. 41. Vos lene consilium et datis et dato gaudetis almae.

Carmen V. In extollenda Augusti laude hoc carmen versari, praeter Dillenburgerium, omnes interpres, quorum quidem commentarios legere mihi licuit, censem, ea potissimum in hanc sententiam adducti re, quod anno u. c. DCCXXXIV, quo carmen hoc scriptum credunt, acciderent res, quae Augusto summae tribuerent laudi. Phraates enim, Parthorum rex, captivos et signa Crassi et Antonii cladibus amissa, solo rumore, nisi ea restituisse, se ab Augusto bello repetitum iri, abjecta omni cunctatione, remisit. Quibus rebus Romani incensi in eam spem venerunt, fore ut Augustus, qui solo nominis sui terrore tanta effecisset, Brittannos pariter ac Parthos imperio adiiceret, et divinos honores ipsi habere erant parati. Etiamsi hanc occasionem ad celebrandam Augusti laudem admodum dextre poëta arripuit, substitit tamen in laudando Augusto jam v. 4. et (inde a v. 5—12) progreditur ad describendam illam ignominiam, qua, quum exercitus a Parthis devicti essent, milites turpiter sese dedissent turpissimamque in ista captivitate degerent vitam, Romani erant affecti; cui quidem ignominiae opponitur illud egregium Reguli fortitudinis exemplum (inde a v. 13 usque ad carminis finem). Quae quum ita sint, sumimam carminis hanc esse puto: poëtam, allatis et ignaviae et summae fortitudinis exemplis, juventutem Romanam exhortari ad tuendam nominis Romani dignitatem, simulque ostendere, quid sentiendum et cogitandum sit de captivis, quanto salus publica privatae saluti, quanto mors pro patriae libertate nominisque gloria praeferenda sit turpi servituti.

Quod autem prima carminis parte Parthorum victorem celebrat poëta, id non solum Augusti laudis, verum etiam ejus consilii gratia fecisse videtur, ut et animos Romanorum tanto principi, tanto virtutis Romanae vindici atque ulti conciliaret et ostenderet, ejus auspiciis priscam nominis Romani dignitatem eo facilius restitui posse.

Carmen VI. Poëtae consilium, quod in componendis sex prioribus tertii libri carminibus ab ipso initum esse persuasum habeo, eorum ultimo satis indicatur. Hoc enim carmine, quemadmodum superioribus quinque, id potissimum, ut ad priscam pietatem, priscam disciplinae severitatem cives Romani redirent, poëtam spectasse nemo facile negabit. Quum et Augustus, bellis cum Antonio, Parthis aliisque patriae hostibus finitis, anno u. c. DCCXXV. Romam reversus, intestinis civium discordiis eam perturbatam, laceratam, populum Romanum omni modo corruptum depravatumque esse intelligeret atque eo potissimum tenderet, ut cum morum integritate simul Romana dignitas restitueretur, verisimile est, poëtae animum eo magis fuisse incitatum, ut ea, quae sibi proposuisset, in medium proferret. Itaque, quum superioribus carminibus multa jam praescripsisset de temperantia animi, de fortitudine, de amore patriae, de virtute civili, de justitia constantiaque, de animo optimis artibus excolendo, de turpitudine, de ignavia, hic igitur summa, quae maximam ad corrigendos mores haberet vim, lex erat danda de pio Deorum cultu; sanctitate enim et religione neglecta vel sublata perturbationem vitae sequi et magnam confusione haud ignorabat clarissimus veteris disciplinae auctor. Quare initio carminis monuit cives, ut, quae ad Deorum cultum pertinerent, diligenter tractarent et, quae per bella civilia et propter clades neglecta essent tempa, ea reficienda, restituendaque curarent; deinde reverentiam, sanctitatem, pietatem erga deos hisce gravissimis praeceperit verbis:

Dis te minorem quod geris, imperas:

Hinc anno principium huc refer exiitum

Deorum vero immortalium contemtione, summas in rem publicam confluisse calamitates: impetus cum caerimoniarum auspiciorumque negligentia Parthis illatos magna Romanorum clade ab hostibus esse rejectos; patriam ipsam, bellis civilibus quassatam, a civibus Romanis, societate cum barbarorum principibus facta, bello petitatam.

Sed non ea solum, verum etiam alia hanc Deorum contemtionem secuta esse mala, ut turpitudinem domesticam, istum tum publicarum tum privatarum calamitatum fontem. Quare virginum, quibus initio primi carminis promiserat, canturum se esse carmina, corruptis earum moribus notatis pravaque puellarum ingenuarum institutione domestica perstricta, fecit mentionem. Denique, comparata priorum reipublicae temporum juventute bonis moribus, severitate, officio assuefacta cum illa suae aetatis, ostendit, quae Romanis imminerent, nisi mores corrigerentur et, quo altius sententiae in animis popularium imprimerentur, haec, ut secum reputarent, adjecit:

Damnosa quid non inminuit dies?
 Aetas parentum, peior avis, tulit
 Nos nequiores, mox datus
 Progeniem vitiosiorem.

En habes carminis argumentum, quo praeter alia hoc imprimis appareat: poëtam, disciplinae Romanae singularem auctorem hoc praecipue insitum civibus penitusque infixum voluisse: a Diis res humanas regi eorumque reverentia et cultu maxime reipublicae salutem contineri, nihil igitur sine Diis, neque in publicis, neque in privatis rebus agendum esse, sed tum demum, cum ii aut votis sacrificiisque placati, aut auspiciis aliisque modis consulti essent.

His igitur ita disputatis argumentisque omnium sex carminum tali modo, quo eorum cognatio demonstretur, constitutis, id tantum addam: totam eorum carminum seriem uno eodemque metro esse scriptam; et, si rem ipsam spectas, Sallustium, illum severum rerum Romanarum scriptorem, fere eodem ordine, quo poëta, inque eadem vicia (Catil. c. 10—13) invectum esse.

